

Nr. 24.

50

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE

**IO. HENRICVS
MICHAELIS,**

SS. THEOLOGIAE, VT ET GRAECAE AC ORIENTALIVM LINGVARVM P. P. O.

VNA CVM
PROFESSORIBVS RELIQVIS

AD RESVR RECTIONIS IESV.
CHRISTI SOLEMNEM MEMORIAM,
EIVSQVE CERTAM BASIN EX VERBO DEI
PENES SE CONFIRMANDAM

OMNES AC SINGVLOS PERAMANTER INVITAT.

Hale, Typis CHRISTOPHORI ANDREAE ZIETLERI, Acad. Typogr.

az.



УЧЕБНИКИ СА
ЧИСЛЕННОМ МАТЕРИАЛОМ
ДЛЯ УЧЕБНИКА ПО
ФИЗИКЕ

ПОДГОТОВЛЕНЫ АКАДЕМИЧЕСКОЙ БИБЛИОТЕКОЙ



Ere Petrum se gessit apostolus Petrus
(Matth.XVI,17.18.21.28. XVII,1.9.23) cum
prima in solemnī festo sublata voce, po-
tenter proclamauit Jesu Christi crucifixi
resurrectionem, tanquam necessariam, &
ex visceribus doctrine Messianæ intimis
protrahendam. *Quem, inquit, Deus resu-*
citauit, solutis doloribus mortis, iuxta quod
NON erat POSSIBILE teneri illum sub ea.

Act. II, 24. *cuius, pergit, communī quippe loquens nomine, nos omnes sumus testes.* v. 32. Videte proloquentem cum parrhesia
(v.14.26.29) eum, qui ipse lepultus paulo ante iacuerat tenebris
tristissimis ac mortis vinculis; nunc rediuius, plenus Spiritu,
instructus viuisca theologiae clavibus, jam vere Petrus. Videte
& reliquos, qui una cum ipso omnes virtute magna testimoniu-
m edebant resurrectionis Domini, verbo & opere, & gratia ma-
gna erat in omnibus illis. Act. IV, 33.20.13.

Vtinam seriis quisque precibus relegat primitiæ con-
victionis vestigia, quæ tanto quidem exstant numero, tantoq;
pondere! Magno certe pretio constitit τὸ μαρτυρίον ἡς
ἀναστάσεως, seculis tradendum fecuturis, per manus testimoniū, qui
difficillime crediderant, ne, ut scite dixerunt veteres, dubitare-
tur a nobis. Beati hinc plus quam terq; quaterque, qui ex ant-
latis iustis laboribus, de quorum spatio solius Dei arbitrium
est, impetrant diuinitus eiusmodi perspicientiam, vimq; bene
concludendi ex sacrīs colligunt tabulis; saltem eandem expe-
tunt, ac vere desiderant. Ex aduerso reputamus eos omni iu-
re viventes mortuos, qui absque huius lucis usura sunt, nec ad
robur illud verum eniti cupiunt.

Quid vero vidisse Petrum censem, vt, cum resurgere ex
mortuis inter ἀδύvata & απίγα (Act.26,8.23) referri vulgo sole-
at. is rem publice vertat in contrarium, potiusque Christum
sub morte teneri inter plane ἀδύvata collocet? Morte sua de-
functus omnino fuerat Iesus Nazarenus in conspectu omni-

um; aperto insuper, in veræ mortis experimentum, ipsius late
re. Ipsi discipuli de sepulto desperauerant propemodum, ni
mis oblii eorum omnium, quæ Magister prædixerat toties o
portere fieri, moriendo æque & resurgendo, die constituta se
cundum Scripturas. Luc. 24, 7. 11. 16. 21. Ioh. 20, 7. 9. 31. Qua ergo
nunc fiducia constituit Petrus, interpres simul commilitonum,
canonem istum, velut per se firmum, & *autóπιον*: fieri non po
tuisse, ut teneretur Iesus *sub morte?* interemptus licet, tanquam
ένδορος, definito ita consilio & prouidentia Dei. A&t. 2, 23. 24. Sci
licet aperuerat tunc Saluator viuis sensum apostolis, ut intel
ligenter Scripturas. Luc. 24, 44. 45. 34. recollectis ex summa æ
gritudine viribus. Ex Scripturarum igitur penetralibus, quæ
reserata in ipso quasi euigilauerant, dilectione Christi sub om
nibus difficultatibus atque tentationibus anxie satis custodita,
sistit Petrus, erectio animo, conspectum *totius paſti* salutaris, Va
dem nostrum inter & Deum Patrem initi; quo saluo non potu
erit dereliqui mortuus, qui ex pacto isto constitutus fuerat
Saluator hominum. *David enim, Propheta NB cum esset, & sci*
ret, quia iureirando NB iurasse illi Deus, de fructu lumbi eius,
quantum ad carnem pertinet, se fuscaturum est Christum, ut hic
fedeat super sedem eius, dicit in eum: Prouidi Dominum coram me
semper, quoniam a dextris meis est, NE commouear. Propter hoc la
tatum est cor meum, & exultauit lingua mea, in super & caro mea su
per spe collocabit tabernaculum, quoniam NON derelinques animam
meam in inferno, NEC DABIS Sancum Tuum videre corruptionem.
Prouidens (David) locutus est de resurrectione Christi. Hæc Pe
trus v. 25 - 30 aliaque, quæ subsequuntur, invicte asserit ex Ps. 16
quem, ut constat, de Messia explicant Rabbini veteres, eundem
que Psalmum deducit ex nucleo officii propheticæ thronique
Davidici, atque ex natura genuina fœderis Messiani.

Videmus ita prona facie Iesum, propter passionem mortis
gloria & honore coronatum, ut sic Dei gratia pro unoquoque gustaret
mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem om
nia, eum qui multos filios in gloriam adduxurus esset, Autorem
salutis ipsorum per passionem consummare, ut per mortem absoleret
eum,

sum, qui mortis habebat xp̄atos, hoc est, diabolum, hosque dimitteret,
quoquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti.
Ebr. 2, 10 -- 15. 3. 4. Praestitis hinc praestandis, tametsi ad extre-
mum res peruererat, non erat utique possibile, ut teneretur
(xp̄atēdā dīutōv) sub morte, qui satisfecerat decreto diuino. Col.
2, 14. 15. 13. 12. I, 11. 13. 14. Quod enim est demortuus, peccato demor-
tuus est semel: quod autem uiuit, uiuit Deo. Ultra mors illi
non dominabitur. Rom. 6, 9. 10. Ps. 40, 2. II. 12. Virumq; impleri de-
buit, unum propter alterum: & quod passurus, παθητός, & quod
primus futurus εξ ἀναστάσεως. Act. 26, 23. 22. XVII, 3, 18. 31. Rom. IV,
25. I Cor. XV 3 - 8. 21. 25. 53. Rex in ipsa morte. Luc. 23, 42. & Vin-
dex legitimus per ipsam mortem. Ebr. 2, 14. Ideoque εξ ἀνάγνωσης
sequitur, vt in morte sanctissima veri nostri Simponis, & γέροντος,
qui est Sanctus Dei, plane ἀνανος, qui neque habuerat neque fe-
cerat peccatum, mors absorpta sit in victoriam. I Cor. 15, 54. 55.
Ioh. 12, 27. 31. 32. 14, 30. Ebr. 7, 25 - 28. vt soluerentur dolores mortis,
qui certe fuerant in Iesu ωδίνες propriissime, hoc est, dolores ad
partum, ad partum scilicet vitae, per ipsam vitæ ad tempus ia-
cturam, secundum vim virtutemque vita indissolubilis. Ebr. 7, 16.
3. El. 53, 10 - 13. Ebr. 5, 7. 8. XI, 9. 35. Ps. 118, 17. 18 - 24. Ionæ 2, 11.
& Matth. 12, 40. Luc. 22, 51. 53. 54. 37. Non est vera resurrectio,
ubi non præcessit vera humanarum partium dissolutio. Sed
quia Christus λύτρον soluerat, Pater quoque λύσας soluit fu-
nes, quibus tanquam vinculis constrictus fuerat is, qui rege-
neratur erat alios ex morte in spem vivam, per resurrectio-
nem suam, in hereditatem incorruptibilem & immaculatam &
immarcessibilem, aperto per velum carnis sue introitu. I Petr.
I, 3. 4. 19 - 21. Ioh. XI, 25. 39. 40. 44. 19. 36. 20, 20 - 23. Ebr. 10. 20.
quippe libere ac sponte servus factus, manens Dominus vi-
ta sua, ponens animam suam, ut ponendo rursum acciperet i-
psam, secundum instructionem acceptam a Patre. Ioh. X, 17.
18. 29. 30. El. 50, 5. 6. 7. Eo pacto Göel noster moriens, qui
per Spiritum αἰώνιον semetipsum obtulerat inculpatum Deo,
tradidit Spiritum suum in manus Patris. Ebr. 9, 14. Luc. 23, 46.
ut inuenta æterna λυτρώσει pretium incorruptibile sanguinis ex.

piatorii deferret rediuius in sanctum sanctorum, Deo
repræsentandum Ebr. 9, 12. 24. 1. Petr. 3, 18 - 21. 4, 6. Egredie
Chrysostomus ad Rom. 4, 25: vide, quo pæcto apostolus
causam commemorans *moris*, eandem & *ἀπόδεξιν* facit resur-
rectionis. Si crucifixus est, qui non erat peccator, idque
propter alios: omnino resurrexit. Similes concludendiratio-
nes reperire licet in antiquioribus ecclesiæ doctoribus.

Quamprimum igitur analogia hæc rerum fidei coauerit
in pectore, tum cernitur firmiore ratione veritas *historie* re-
surrectionis I. C. D. N. & creditur digniore modo. Nobis
lane id est longe certissimum, quod eodem ductu Petrus ex
omni dubitationum nocte ac labore emerserit. Quod & quis-
que alias assequatur opportune, qui apostolorum his vestigiis
insistere, & ad Deum conuertere faciem tuam uoluerit.

Evidem alio prorsus trahunt Petri verba Mich. Gittichius
& Val. Smalcius, uterque scripto libello *de satisfactione*, inde,
quod non fuerit possibile detineri Christum *a morte*, inferentes,
quod nec potuerit *eternam* subire mortem; quæ sit vulgaris
Christianorum sententia. Verum enim vero manifestus ab-
ulus est & sententiaz, quam isti vulgo receptam dicunt, & i-
psorum verborum Petri. *Rem ipsam*, (mortem nempe, ab
unoquoque nostrum promeritam, cuius tamen superandæ
nemo nostrum capax per se, in infinitum usque, fuerit) vere
in se transtulit Christus, vere in se suscepit, iuste superan-
dam, vt tamen propterea non sequatur, debuisse eum ipsum
etiam in *eternum* morte nostra teneri. Aeterna enim mortis
duratio, quam Gittichius & Smalcius intelligit per *eternam*
mortem subeundam, nobis tantum accidit ex nostra parte, nec
prouenit nisi ex conditione subiecti, ut in scholis loquuntur,
& finiti & plane inepti ad tantam causam. Agnus vero Dei,
qui erat in principio apud Deum, caro nostra factus, solus hic
�ντρο pro dignitate sua *infinita*, & ex officio supremo, quod su-
scepit, aggredi potuit reatum mundi, data carne sua pro mundi
vita, adeoque loco nostro aggressus est morte sua mortem
nostram

nostram *αντιληπτικός*, mortem, quæ certe *infernalis* est sua natura, præcipitatura per se in *eternum*, nisi de suo interuenisset & subuenisset ὁ *ἰχυρότερος*, ὁ *θεάνθρωπος*, subeundo sane mortis nostræ aculeum, quem lensit proportione *intensissima*, & extremo cum acumine derelictus, expers ad tempus solatii diuini; at perferendo & perdurando sanctissime, semetipsum per *eternum* Spiritum Deo offensens *inculpatum* (in quem mors nulla, nedum *eterna*, iuris quid habuit) vsque ad mortem crucis; comprehensis nec vlo pacto exceptis iis conditionibus, quæ ad *rem ipsam* pertinebant. Iniquum ergo fuerit, Christum, prætextu fulceptæ caussæ nostræ, constringere velle in nostros limites. Tantum a Vade & Sacerdote nostro factum est, quantum vtrinque desuit pro scopo assequendo, & pro natura negotii, quia non erat possibile, vel rei agendæ conueniens, vt mors soluere posset vniōnem personalem, et si mors vere consummata fuit secundum humanitatem in vnitate personæ. Imo in *ipsa morte*, Deus & Homo perrumpens, præstítit *Vindicem*, isque tum maxime egit coram divino iudicio, cum maxime *passus* est. Hinc mors eius ipsa dedit remedium iustum ad erekctionem sui, operatione & quasi retro-actione potentissima. Hos. 13. 14. vt teneri is morte non potuerit, qui in se erat resurreccio & vita, pro nobis autem præsterat præstanta; vt potius is ipse iure omni caput suum extulerit Victor, per se ipsum facta purgatione peccatorum, non definens agere pro nobis, sicque iusta proportione implere omnia. Ebr. 1. 3. 10. 11. 7. 3. 16. 26. 27. 28. 24. Ioh. 10. 30. 37. Is nisi tuisset, qui mortuus est pro nobis, non potuisset, fatemur, adiuvenire *eternam* redemptionem, adeoque nec retrouoluere aut retropellere mortem *eternam*. Ebr. 9. 12. 14. Ioh. 3. 36 - 31. Ast quia alius non est, qui mortem nostram gustando interceptit, quam is, vt ex reuelatione Scripturæ tenemus, Filius nempe Dei unigenitus, morte non interceptus (vt Hilarius loquitur in Ps. 53.) *mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.* ¹ Petr. 3. 18. seq. 4. 6. Apoc. 1. 17. 18. 2. 8. ^{11. 20.}

II. 20, 1--6. 14. 21, 8. Quin etiam passurus adhuc Immanuel
ἰεζούσιαν sibi vindicat ponendi & resumendi animam pro ouibus,
NE pereant in æternum. Ioh. 10, 17. 18 -- 30.

Atque ita per autores istos, Gittichium & Smalcium,
tantum abest, vt, quod intendunt, ad absurdum redigi posit
doctrina nostra, vt potius isti sibimet ipsis male prospexerint,
quia fatentur, non potuisse Christum morte teneri, nec ta-
men integras relinquunt potiores illas rationes, ex quibus, vt
probauiimus, id constat maxime, quod fatentur nobiscum.

Nos potius omnes æterno Patri submisissime agamus
gratias pro dato in mortem & resuscitato ex mortuis Filio
Saluatore, etiamque pro testimonio verbi, ad accendendam
& retinendam fidem vietricem tam paternæ disposito. Intel-
ligimus arctissimum vinculum, quod est inter aduentum Mes-
siae eiusque mortui resuscitationem, sed petimus a Deo fidem
vtriusque calidissimis suspiriis. Ioh. XI, 25. 26. 27. Vitam no-
stram pro vita non habemus, sine hac basi pacis & solatii 1 Cor.
15, 19. De hac vero persuasis ne mors quidem mors esse pot-
est vincentibus. Modo omnes conuerti velimus ad Episco-
pum & Pastorem animarum nostrarum, abieciis vinculis mali
deceptiveis. Modo, qui studiis incumbimus, demus ante
omnia operam, vt in Christo firmam habeamus ὑπόστασιν sine
fallacia, nec scire aut præstare nos aliquid existemus, si nul-
la est in nobis cura testimonii viui de Christo. Modo in-
grediamur Christi vestigia, in iisque ne fugiamus, tanquam
malum, id quod in ipso Capite præcessit victoriæ. 2 Tim. 2,
7-12. 3. Iq. Luc. 13, 32. Apoc. 3, 7-8. 1 Tim. 6, 13-16. Vobis, o
Nostræ! Vobis, quicunque cupitis intrare in gloriam, nec te-
neri fraudibus, dictum esto, quod antiquus Doctor sua ætate
proclamauit. *Vestram*, ait, *in illo* Capite Vestro 1. C. reda-
mate naturam, quoniam sicut ille paupertate sua diuitias NON a-
misit, gloriam humilitate NON minuit, æternitatem morte NON
perdidit: ita & vos eisdem gradibus, eisdem vestigiis, vt cælestia
apprehendatis, terrena despiciete. Nec frustra coram oculis vestris
exempla subinde statuuntur in eos, qui pepigisse se putant cum
morte & inferno. Es. 28, 14-15. P. P. Festo Paſch. A. MDCC.XIII.

Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDER
IO. HENR
MICHAEL

SS. THEOLOGIAE, VT ET GRAE
TALIVM LINGVARVM P.

VNA CVM
PROFESSORIBVS REI

AD RESVRRECTIO
CHRISTI SOLEMNEM M
EIVSQVE CERTAM BASIN EX
PENES SE CONFIRMAN

OMNES AC SINGVLOS PERAMANTE

Hale, Typis CHRISTOPHORI ANDREAE ZIE

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

